



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Augustæ Vindel., 1772**

Caput XXXIV. Quod amanti sapit Deus super omnia, & in omnibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

C A P U T   X X X I V .

*Quod amanti sapit Deus super omnia,  
& in omnibus.*

1. **E**cce Deus meus, & omnia.  
Quid volo amplius, & quid  
felicius desiderare possum?

O sapidum & dulce verbum! sed  
amanti verbum, non mundum, nec  
ea, quæ in mundo sunt.

Deus meus, & omnia. Intelli-  
genti satis dictum est: & sœpe re-  
petere, jucundum est amanti.

Te siquidem præsente jucunda  
sunt omnia: te autem absente fa-  
stidiunt omnia.

Tu facis cor tranquillum, & pa-  
cem magnam, lætitiamque festivam.

Tu facis bene sentire de omnibus,  
& in omnibus te laudare: nec potest  
aliquid sine te diu placere; sed si de-  
bet gratum esse, & bene sapere,  
oportet gratiam tuam adesse, & con-  
dimento tuæ sapientiæ condiri.

2. Cui tu sapis, quid ei recte non  
sapiet;

Et

Et cui non sapis, quid ei ad  
cunditatem esse poterit;

Sed deficiunt in sapientia tua mu-  
di sapientes, & qui carnem sapiunt:  
quia ibi plurima vanitas, & hic  
mors invenitur.

Qui autem te per contemptum  
mundanorum, & carnis mortifica-  
tionem sequuntur, vere sapientes  
esse cognoscuntur: quia de vanite-  
te ad veritatem, de carne ad spiri-  
tum transferuntur.

Istis sapit Deus: & quidquid bo-  
ni invenitur in creaturis, totum ad  
laudem referunt sui Conditoris.

Dissimilis tamen, & multum dis-  
similis sapor Creatoris & creature,  
æternitatis & temporis, lucis incre-  
tæ & lucis illuminatæ.

3. O lux perpetua, cuncta creata  
transcendens lumina, fulgura cor-  
ruscationem de sublimi penetrantem  
omnia intima cordis mei: Purifica,  
lætica, clarifica & vivifica spiritum  
meum

meum cum suis potentiis, ad inhæ-  
rendum tibi jubilosis excessibus.

O quando veniet hæc beata & de-  
siderabilis hora, ut tua me saties  
præsentia, & sis mihi omnia in om-  
nibus?

Quamdiu hoc datum non fuerit,  
nec plenum gaudium erit.

Adhuc (proh dolor) vivit in me  
vetus homo, non est totus crucifi-  
xus, non est perfecte mortuus.

Adhuc concupiscit fortiter con-  
tra spiritum, bella movet intestina,  
nec regnum animæ patitur esse quie-  
tum.

4. Sed tu, qui dominaris potesta-  
ti maris, & motum fluētuum ejus  
mitigas, exurge, adjuva me.

Disipa gentes, quæ bella volunt  
contere eas in virtute tua.

Ostende, quæso, magnalia tua,  
& glorificetur dextera tua: quia non  
est spes alia, nec refugium mihi,  
nisi in te Domine Deus meus.

C A-